



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 200. Mustapha Achmetis Frater in Turcico solio successor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

tibus exhaustus Achmetes Constanti-
nopoly die decima quinta Novembris
anno ætatis trigesimo, Imperii decimo
quinto obiit. Erat Princeps plurimum
de se præsumens, crudelis, scientia-
rum rudis, Ministrorum mancipium,
multa mente volvens, nihil decernens,
amplaque fovens consilia, quæ tamen
nunquam exequendo par erat.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CC.

*Mustapha Achmetis Frater in Tur-
cico solio successor.*

Enimvero Achmetes præter Sultanam
gente Circassidem, pellices habe-
bat circiter quadringentas, ex quibus
filiorum ejus numerus haud exiguus
educabatur, eorum tamen natu maxi-
mus Osmanes nomine, nonnisi duode-
cimum ætatis annum injerat. Hunc
Achmetes Imperii Successorem jam
antè hac designaverat, donec vero in
Imperii curas & ætatem Osmanes ado-
lesceret, Pater moribundis pœne jam
vocibus Mustapham Osmanis Patrum
in Regni Administratorem nominabat.
Hic idem Mustapha post Patris sui Ma-
hometis III. obitum ab Achmete fratre
suo, in custodiam conditus fuerat, in
qua quartum decimum jam trahebat
annum, quando vicarium ad Regimen

*Arth. Dan-
tisc. tom. 12.
l. 1. p. 119.
Sagred. l. c.*

Sæc. XVII. vocabatur. Vix autem e carceris sui
 A. C. 1617. latebris prodierat, cum ecce! præter
 omnem expectationem a Ministris &
 Janissaris *Sultanus* consalutatur, qui ta-
 men Reginini suo initium fecerat a
 consueta Barbaris crudelitate, qua
 Achmetis filios, præter Osmanem uni-
 cum, omnes interfecit, vel ut alii vo-
 lunt, vinculis adstrinxit, postea Vien-
 nam Legatum decrevit, qui ejus no-
 mine foedera inter Mathiam Cæsarem,
 & Achmetem defunctum inita, rata
 haberet. Nondum vero hic Legatus
 Constantinopolin reversus erat, cum
 Alil Bassa Vezirius conspiratione cum
 Janissaris & Spachiis facta, tertio Re-
 giminis sui Mense Mustapham solio de-
 turbatum, arctius longe quam antea
 in veteri carcere vinctum teneret, ut
 malæ gubernationis pœnas exolveret;
 quippe præter inhumanam ferociam,
 qua Musulmanos, & populares, no-
 xios æque ac innocentes, promiscua
 barbarie trucidabat, insuper violato
 gentium jure Gallix & Britannix Ora-
 tores ædibus suis incluserat, & quæ-
 stionibus amborum familias exagitans,
 Ministros Legatorum torqueri jusserat,
 imo conversa etiam in cognatum san-
 guinem rabie ipsum etiam Osmanem,
 cui sceptrum asservare rogatus erat, in
 carcerem detruferat, qui tamen edi-
 verso

verso, raptus e custodia, in solium Sæc. XVII.
A. C. 1617.
transferebatur. Referunt etiam Scri-
ptores, quod Mustapha ad Vezirii sui
arbitrium compositus totam Regiminis
curam eidem reliquerit, & præter alia
stupidi ingenii sui portenta pretiosissi-
mas gemmas per fenestras projecit,
ac cuidam pauperi Eleemosynam pe-
tenti literas ad Mathiam Cæsarem de-
derit, quibus tamen interceptis cogni-
tum, quod eundem ad capeffendum
Ottomanicum Imperium Constantino-
polin evocasset. Fervente hoc tumultu
Ludovicus XIII. Galliarum Rex, &
plurimi quoque Franciæ Episcopi ac
Proceres magnam pecuniarum vim ad
Jerosolymitanum Sancti Sepulcri Tem-
plum restaurandum, aliasque Palæsti-
næ sacras ædes reparandas submiserant,
sollicitantibus hæcæ suppetias Patribus
Franciscanis, quibus circa annum Do-
mini 1330. Sultanus Ægypti custodiam
Dominici Sepulcri commiserat, peten-
te Philippo VI. Galliarum Rege.

§. CCI.

Synodus Cameracensis.

Hoc anno die secunda Octobris Fran-
ciscus de Burch Cameracensis Ar-
chiepiscopus Synodum suam Diæcesan-
nam celebrabat, paucis comprehen-
sam

*Schanat Con-
cil. Germ.
tom. 4.*